

ri nostri, iam nati & adhuc nascituri, idem facient. Femina nobilis Engila de Sandolteshulen ecclesiae Frisingensi seculo XI. se tradidit ea conditione; *ut ipsa omnisque posteritas illius legitimorum ecclesiae seruientium iure & lege uiuerent e).* In diplomate Conradi Comitis Luxemburgensis, Abbatiae S. Maximini anno 1135. dato *f)*, recensentur ministeriales, qui *ius ministerialium a praedecessoribus suis integritate generis & conditionis obtinuerunt.* Itaque posterius utriusque sexus ex paterna vel auita conuentione facti sunt ministeriales, & feminae subinde sponte eundem nexum subire non dubitarunt. Habet inde media aetas *feminas ministeriales* non minori numero ac masculos, easque non minus in nexu *procerum imperii* quam in nexu *imperatoris & imperii* consistentes: quod cum mirum videri possit perpendiculari, sequiorem sexum, in aliis omnibus occupatum, a ministeriorum functione solere esse alienum, rationes huius instituti expendere, & de *femina ministeriali* quaedam commentari non prorsus iniucundum fore arbitror.

III.

Ministeriales feminas fieri & nasci apud Germanos, exemplis pluribus edocemur. *Fiebant* propria conuentione; & feminas facile cepit quaedam pietatis opinio, qua se suos-

A 3

que

e) Chartam habet CAROL. MEICHELBECK *hist. Frising.* tom. I. p. II. p. 526.

f) in V. R. 10. NIC. ABHONT-HEIM. *histor diplom. Treuirensi* tom. I. p. 528.

que ministeriis ecclesiae deuouerent; vt in exemplo Gislelae, antea exposito, apparet. *Nascebantur* ex parentibus ministerialibus. Et matrem quidem ministerialem esse sufficiebat. Id ferebat mos Germanorum, vt partus eidem esset obnoxius, cui mater fuerat obstricta, & ius domini in matrem propagaretur in liberos, ex ea natos. Cuius rei vsus cum in hominibus propriis perspicitur; tum quadam *iuris similitudine* in ministerialibus inualuit. Liberi in nexu ministeriali eius domini erant cui parebat mater, siue pater liber, seu a nexu ministeriali immunis, siue ministerialis alterius Domini esset. Itaque liberi ex utroque parente, ministeriali quidem, sed *diuersis dominis* obnoxio, nati, ex regula non seruiebant domino patris, sed domino matris, nec ad patris officium & beneficium adspirabant, sed in spem ministerii & beneficii per matrem obtinendi nascebantur. Ita definiuntur iura ministerialium Abbatiae Maximilianae in charta antea excitata de a. 1135. g) *Si quis ministerialium ecclesiae extraneam uxorem duxerit, filii eius praedictum seruitium, quod pater eorum, quia ministerialis erat, habuisse videbatur non habebunt: femina ministerialis ecclesiae, si viro extraneo nupserit, filii eius, propter conditionem matris, praedicto officio non priuabuntur.* FRIDERICVS II. Imp. in diplomate de a. 1254. supplicibus precibus se rogatum esse refert, h) vt permetteret, filium Sigfridi mini-

g) *ibid. loc. cit.*NVS *Cod. Diplomat. rom. I. p. 534.*

h) in Gener. Dni de GYDE.

nisterialis & Mareſchalli Moguntini, etiamſi ex parte *matris debeat eſſe miniſterialis imperii*, miniſterialem fieri Moguntinum & paterno miniſterio in eccleſia Moguntina deſungi; idque ex gratia indulſit imperator. Arnoldus, praeful Moguntinus in charta A. 1155. 1) matrimonium refert Reinoldi, *Quedlinburgenſis eccleſiae Miniſterialis*, cum *quadam miniſteriali eccleſiae Moguntinae* Methilde, filia Theodoricide Geiſmar, unde, pergit, *proles quam ex ea genuerat, quia eccleſiae Moguntinae attinebat, nec praedia nec beneficia, quae ipſe a Quidlinburgenſi habebat eccleſia, ſecundum ius regale poterat obtinere.* Inde pro miniſterio & beneficio paterno, Reinoldo conciliando, concambium miniſterialium inter utramque eccleſiam initum eſt.

IV.

Dominorum itaque tantum interſuit, habere feminas miniſteriales, quantum intererat, ſeruare in miniſterialium ſuorum poſteritate nexum miniſterialitatis. Ut enim *proles miniſterialium* ipſis eodem nexu eſſet obſtricta, miniſterialem ex familia ipſorum, ita videlicet nuncupari miniſteriales omnes eidem domino ſeruientes ſolebant, uxorem ducere oportebat in matrimonium. Ex quibus perſpicitur ratio, quare non modo miniſterialium maſculorum non minus ac feminarum connubia ad Dominorum conſenſum ſaeppiſſime ſint adſtricta, verum etiam domini, ſubinde diligenter

1) Ibid tom. I. p. 221.